

F L A N D R I A.

TRactum Europæ extremum Britannicæ Insulæ obiectum, inter Galliam, Germaniam, & Oceanum, incolæ Germaniam Inferiorem appellant: Galli, exterique ferè omnes vno nomine Flandriam vocant. Verùm Flandria non tam latè patet. Nam quæ hodie Flandria est, ea Brabantia, Hannonia, Artesia, & Oceano terminatur. Hanc in tres partes diuidunt, in Teutonicam, Gallicam, & Imperatoriam, quam & Proprietariam (quòd nunquam Superiorem præter Flandriæ Principem agnouit) nominant. Teutonica Flandria has habet vrbes; Gandauum, Brugas, Ypram, Curtracum, Aldenardam cum Pamelia, Neoportum, Furnas, Bergas, Slufam, Dammum, Bierfletum, Dixmudam, Casletum, Dunkerkam, Greuelingã, Burburgum, & Hulstum. Gallica; Insulas, Duacum, Orchianum. Imperatoria; Alostum, Tene-ramundam, Gerardimontium, & Niniuam. Flumina eius celebriora sunt, Scaldis, Liza, & Tenera. Regio maximè compascua, imprimis Occidentem versus: Boues, equosque præstantissimos, belloque aptos gignit. Caseo, butiroque abundat. Tritici admodum fœcunda & nobilis. Populus ferè mercaturam exercet: atque ex lino (cuius hîc maxima fertilitas & excellentia est) lanaque, (quæ ex Hispania & Anglia huc aduehitur) pannos lineos, laneosque magna copia conficit, latissimeque distrahit. Habet hæc Flandria. XXVIII. Ciuitates muro cinctas: M. C. LIII. Pagos, præter Arces, Castella, & nobilium Ædes. Inter quas, est Gandauum, maxima Ciuitas: de qua Erasmus Roterodamus in epistolis, ita: Non arbitror (inquit) quaqua patet Christiana ditio, Ciuitatem vllam reperiri, quæ cum hac conferri queat, siue spectes amplitudinem vrbis ac potentiam, siue Politiam, siue gentis indolem. hæc Erasmi. Tria miliaria nostratia in ambitu continet. Tribus fluminibus irrigatur, quibus in viginti Insulas habitatas distinguitur. Brugæ, multitudine atque elegantia ædium, omnes Germaniæ Inferioris ferè vrbes antecellit; Emporium olim tam celebre, vt Flandriæ nomen (inquit Iacobus Marchantius) per eam occasionem vicinas Regiones velut obfuscauerit. YPRA flumen Hypram habet, fullonibus aptissimum: creuitque lanificio in vastam olim magnitudinem, donec ab Anglis & Gandauensibus obsessa, disiectis amplissimis suburbiis, magnoperè diminuta fuit. Fuit hæc Regio pro maiore parte ab exordio sub clientela Regum Franciæ, nunc verò libera, & sui iuris; vindice Carolo V. Augusto Flandriæ Comite, qui seruitutem illam pactione Madritia in totum aboleuit. Descripsit hanc Regionem Ludouicus Guicciardinus accuratissimè, sed doctissimè Iacobus Marchantius.

FLANDRIA

MARIS GERMANICI

PARS.

ZELAN
Walcheren
Middelborch
Vlissingen

DI
AE PARS
Zuytbeucland

PLRS
PICARDIA

Notarum explicatio.

- Urbes.
- Monasteria.
- Pagj.

Miliaria Flandrica, parua,
mediocria, & magna.

Gerardus Mercator
Rupelmundanus
Describat

HANNONIAE PARS

BRABANTIAE PARS



Cum privilegio.



